

✠ Super facto illorum de Cremona, qui conqueruntur de novitatibus que fiunt super strata Padi in tollendo dacia et gabella<s et> pedagia contra iusticiam et antiquam consuetudinem et quod reducantur ad pristinum statum et quod per dominacionem nostram debet dari operam nostro posse quod novitates non fiant, consulunt quod scribatur ipsi ambaxatori quod ipse respondeat et dicat illis de Cremona quod notorium est omnibus quod comune nostrum Veneciarum semper fuit et est cupidum quod strata Padi sit aperta et segura omnibus inde transitum facientibus et hoc similiter inteligit<ur> semper velle. Et pro bono huius negocii consulunt quod scribatur ipsi ambaxatori et sibi committatur quod in sua reversione veniat Mantuam et exponat et dicat dominis Mantue de dictis novitatibus, daciis et pedagiis que fiunt transeuntibus deinde et quod talia non permittant fieri, set removeant, quia intollerabilia essent comuni nostro, cum illis pulcris verbis que sibi videbuntur.

Venezia - Senato, Deliberazioni miste. Registro XVIII (1339-1340), n.261.

Istituto veneto di scienze, lettere ed arti, Venezia 2005, p.105.